

4

Lege & suspira!

Quisquis inexplicabiles vicisitudinum anfractus
Rimari satagis.

ALEXANDER,

In Livoniâ Curlandiâ & Semigallia
PRINCEPS,

Purpuratis at spineis exceptus cunis.

Fatalis enim ille Lechico - Botnicus

Ipsi obstetricabatur tumultus.

Vix solutus Uteri Materni vinclis,

Aliud jam sibi præparatum inveniebar ergastulum.

Narum, & simul captivum & extorrem

se vidit,

Dexterâ insuper manu orbum.

In hoc tantum felix,

Qvod Tenellus calamitatum non caperet sensum.

Mutante Fortunâ faciem,

Et Natura ipsa disgratiā excusare videbatur.

Brevi qvippe,

Illustrissimo restitutus statui,

Magnus & latus sese prodidit Animus,

Cum Ingenio vegeto.

Et qvod Dextræ negaverat,

Summâ cum solertiâ in sinistrâ manu restaurabat Natura.

Nam,

Et tornationibus in ebore & durissimis lignis,

Et armis tractandis,

Ipsi mirè sufficiebat.

Ut Dexterrima videretur.

Hac fretus indulgentiâ, & Marti se devovebat.

Primum Ipsi rudimentum fuit Scythicus in Podoliâ furor.

Quem tamen ope Summi Numinis feliciter evasit.

Hinc ad majorem accinctus spem,

Ultrò ad Budæ oppugnationem

Sese offerebat.

Clibanus hic,

Tot Christianorum Exercitibus jam olim fatalis.

Thracicus enim seu verius Phlaegræus Draco,

Sesqui-Seculum quasi in eo nidulatus,

Teterrimam semper ediderat stragem.

Sangvine & spoliis Christianorum obesus.

Alvum sulphure, nitro, bitumine ac pice,

Habebat refertissimum.

Appropinquantes

Fulgoribus ac Tonitribus arcebat.

Terræ motûs ac subsultus ciebat.

Vulneribus suis semper quasi ferocior.

Semilacerum & tabidum jam trahebat corpus.

Virulentiæ tamen pristinæ haut immemor,

Ultimum sui fecit experimentum.

Inter ruinas Heroum ruere,

Et non nisi sub ruderibus antri sui calcari cupiens,

ALEXANDRO,

Huic tam ferali monstro impavidum opponenti pectus,

Vulnus inflixit lethale!

PRINCIPALI corpori haut inglorium,

At CURONIÆ luctuolum.

Habuit hic PRINCEPS,

Auroram turbulentam, Diem serenum, Vesperam rubicundam.

Natus Mitaviæ Anno 1658 Die 18o Octobris.

Denatus in campo aprico prope Viesche haut procul Viennâ,

Anno 1686 Die 16to Augusti, 21mo à vulnere.

Et sic Teste Cœlo,

DEo reddidit Animam bellatricem.

PIæ memorie Illustrissimi Principis, cum ejus Exuvia Anno 1686.

Die 17mo Decembri in Arce Mitavensi Principali pompa
conderentur, hoc, quicquid est monumenti, statuit

GEORGII STEPHANI, R. B.